

- Restituit quod prima tulit. Non voce querelas  
 \* Excitet, aut gemitu moerentia corda fatiget \*97  
 Antiqua pro lege dolor; scelera ipsa nefasque  
 Hac potius mercede placent, mundoque redempto  
 Sors melior de clade venit; persona ruinam,  
 Non natura, dedit; tunc femina feta periculum,  
 Nunc tumuit paritura Deum, mortalia gignens,  
 Et divina ferens, per quam Mediator in orbem  
 Prodiit, et veram portavit ad aethera carnem.
- 1622 Lib. II. [...] Davidica nam stirpe satus, genitrice Maria, PL  
68, 179  
 Christus adest, quem tota canunt oracula vatum  
 Venturum sub carne Deum, seseque creantem  
 Virgineos intrare sinus.
- 1623 Corporis ille locus, quo circumciditur Abram, PL  
68, 190  
 Luxuriam lascivus habet, vitiique minister  
 Naturae sub lege iacet, pater ipse futurus  
 Seminis, unde salus ad vitam pullulat orbis,  
 Evacuat, quod culpa gravat, truncata libido  
 Virgineum promittit opus; haec namque propago  
 Divinum concepit iter; hinc sacra Maria est  
 Ad partum generata novum, quae, coniugis expers,  
 \* Mater inest, natusque Dei de Virginis alvo \*191  
 Emicat, atque hominem mediator in omnia complet,  
 Hinc terrena levans, illic coelestia praestans.
- 1624 [...] Quantum tua, Christe, potestas PL  
68, 219  
 in famulis operata facit! Tu redditus astris,  
 Aequalisque Patri de maiestate perenni  
 Iura superna regis; sed quod caro, corpore matris  
 Virginis orta tibi, regnum spoliavit Averni,  
 Vivaque de proprio revocasti membra sepulcro,  
 Teque probans voluisse mori, qua parte resurgis,  
 Et qua natus eras, iam ferrea vincula solvis.

### SERMONES AFRICANI<sup>1</sup> (saec. VI)

- 1625 Sermo 4. [...] Audisti virtutes, sensisti potentiam? Deum fa- PLS  
III, 1417  
 tere qui missus est. Hunc per castos auditus virgo Maria incorrupto  
 pudore concepit et solo verbo pregnata Deum Christum genuit in-  
 corrupta. Sed dum secum virgo angelo nuntiante tanti conceptus

<sup>1</sup> Cf. PLS III, 1412.

● PL 68, 186.

rationem inquiri his se adloquitur verbis angelici nominis: « Vultus veros video et quae promittit impleri non dubito. Tamen *quomodo fiet istud quae virum non cognosco*.<sup>1</sup> Mater vocabor et virgo sum. Ero feta quae necdum sum maritata. » Et angelus ad Mariam. « Noli virgo, noli futura Dei mater et virgo mortalium considerare naturas. Ingens hoc arcanum est et caeleste consilium. Qui de te nasciturus est ipse te fecit. Noli, inquam, divinis rebus aliquid aequare terrenum, non te matrem viri facit accessus, sed *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei* ». <sup>2</sup>

PLS  
III, 1419

Sermo 6. [...] Solius enim Domini et beati Ioannis dies nati-  
vitatibus in universo mundo caelebratur. Illum enim sterilis peperit,  
istum virgo concepit. In Elisabet sterilitas vincitur, in beata Maria  
conceptionis consuetudo mutatur. Elisabet virum cognoscendo  
filium genuit, Maria angelo credidit et concepit. Hominem concepit  
Elisabet, hominem Maria, sed Elisabet solum hominem; Maria  
Deum et hominem. Mira res est. Quomodo potuerit concipere creata  
creatorem? Quid ergo intellegendum est, carissimi, nisi quia ipse  
sibi fecit carnem de sola matre qui fecit primum hominem sine pa-  
tre et matre? Primus ille noster casus fuit quando femina per quam  
mortui sumus in corde concepit venena serpentis. Persuasit enim  
serpens peccatum et admissus est mala suadens. Si primus casus  
noster fuit cum femina concepit corde venena serpentis, non miran-  
dum est quia salus nostra facta est cum femina concepit in utero  
carnem Omnipotentis, et quia uterque sexus ceciderat, uterque erat  
postea commendandus. Per mulierem missi sumus in interitu, per  
feminam accepimus indulgentiam peccatorum.

1626

## FACUNDUS Hermianensis (saec. VI)

### PRO DEFENSIONE TRIUM CAPITULORUM (546/548)

PL  
67, 530  
\*531

Lib. I, cap. I. [...] Illud etiam quod beatam Mariam \* vere et  
proprie matrem Dei esse dixisti, in eadem synodi allocutione <sup>3</sup> in-  
venimus esse firmatum, ubi dictum est: « Verum non latuit indormi-  
tabilem oculum naturae communis inimicus, sed tanquam lumina-  
ria confestim Patres nostros, his quos tenebrarum pervaserat error,  
ostendit; qui cunctis reserarent intelligentiam fidei, et incarnationis

1627

<sup>1</sup> Lc. I, 34.

<sup>2</sup> Lc. I, 35.

<sup>3</sup> Loquitur ad Iustinianum Imperatorem de Synodo Chalcedonensi.